

nemo non videt, quamvis Revianæ ratiocinationi sint imprimis consona.

15. Postremò addendum hoc est superioribus, quòd, dum figuram, motum, quietem, situm & similia *modos appellamus*, eo ipso plurimos, etiam maximè Peripateticos imitemur, dumque modorum istorum hanc esse rationem dicimus, quòd substantia ab illis afficiatur vel varietur, expressè addamus, nullos ejusmodi Deo attribui, *quia nulla in eo variatio est intelligenda* Principp. 1. 56.

16. Quamobrem adversarius apertissimè vitiosum de genere in genus transitum committit, quando modos rerum creaturarum ex naturæ lumine cognoscibiles, de quibus solis in Philosophia agitur, cum divinis & supernaturalibus, tanquam geminos, confert.

EXERCITATIO XL.

Per simplicitatem suam Deus supra res alias omnes intelligentiâ præditas attollitur longissimè.

1. **D**ispiciamus porrò, quo pacto divina simplicitas Creaturis intelligentiâ præditis sit incommunicabilis inque loco infinitis modis altiori Deum ponat,